Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26140
Copyright: Admont, Benediktinerstift

subditum lancea intorquendo persequitur. quia quem magnis cotti
die augeri uirtutum successibus sensit. ultra se excrescere expauit.
Paruulus itaque est qui inuidia occiditur. quia nisi ipse inferior
existeret. de bono alterius non doleret. Sed inter haec hostis ui
rus infunditur. in hac tamen nequitia tota sua uiscera serpens
concutit. & inprimende malitiae pestem uomit. De quo nimirum
scriptum est. inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.
Nam cum deuictum cor liuoris putredo corruperit. ipsa quoque
exteriora indicant. quam grauiter animum uesania instigat. Color
quippe pallore afficitur. oculi deprimuntur. mens accenditur.
& membra frigescunt. fit in cogitatione rabies. in dentibus stri
dor. Cumque in latebris cordis crescens absconditur odium. dolore
ceco tenebrat conscientiam uulnus inclusum. nil letum de propriis libet.
quia tabescentem mentem sua pena sauciat. quam felicitas torquet
aliena. quantoque extranei operis in altum fabrica ducitur. tanto
fundamentum mentis liuide profundius subfoditur. ut quo alii ad
meliora properant. eo ipsa deterius ruat. Qua ruina uidelicet
etiam illud destruitur. quod in aliis actibus perfecto opere surrexe
isse putabatur. Nam inuidia cum mentem tabefecerit. cuncta quae
inuenerit bene gesta consumit. Unde bene per salomonem dicitur.
uita carnium sanitas cordis. putredo ossium uero inuidia. Quid enim
per carnes. nisi infirma quaedam ac (tenera) terrena. Et quid per ossa. nisi for
tia acta signantur. Et plerumque contingit. ut quidam cum uera
cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi uideantur.
quidam uero iam quaedam ante humanos oculos robusta exerceant.
sed tamen erga aliorum bona intus inuidiae pestilentia tabescant.
Bene ergo dicitur. uita carnium sanitas cordis. quia si mentis
innocentia custoditur. etiam si qua foris infirma sunt. quandoque
roborantur. Et recte subditur. putredo ossium uero inuidia. quia
per liuoris uitium ante dei oculos pereunt. etiam fortia acta uirtu

Sciendum est [illegible] quis [illegible] ueni quod [illegible] humano cordi antiq[illegible]